



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De fideiussore dando ab ijs, qui Seminarium ingrediuntur, ac testimonio  
aetatis exhibendo. Cap. X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Vestes exteriores duæ lanæ, violacei altera, altera nigri coloris.

Interiores item duæ, quarû altera hyemis tempore, altera æstate deferatur.

Illa è panno laneo crassiori, hæc è subtiliori (vulgò sarza appellat) sit confecta.

Epitogium, seu vestis domestica, iuxta præscriptam formam.

Pallium, quod ferrarolum appellant.

Pileus ad formam, & birretum, cuius interior pars nigri tantum sit coloris.

Cingulum, quod nec sericum sit, nec reticulatum, sicut neque vincula tibi alium.

Sex ad minimum indusia, quorum collaria, nec crispata sint, nec vlllo artificio elaborata.

Manutergia duo, aut tria: Sudariola tot, quot opus fuerint.

Conciones alicuius probati auctoris, & liber aliquis de rebus spiritualibus conscriptus; prout superiori videbitur; ac ij præterea omnes, quibus in gymnasio necessariò vti debent.

Lectus, capsa, scrinium maius, & minus, scabellum iuxta formam Seminarij, Culcitra stramentitia, Anaclinterium, lintea, lodices ad vsum, tum hyemalis temporis, tum æstiu, ad formam Seminarij.

De fideiussore dando ab ijs, qui Seminarium ingrediuntur, ac testimonio ætatis exhibendo.

Cap. X.

**N**vllus in Seminarium recipiatur, nisi prius idoneum fideiussorem dederit; qui pro eo spondeat, non solum quoad repræsentationem pecuniarum singulis sex mensibus, quas pro victu soluere debet; sed etiam vestitu iuxta Seminarij constitutiones: Et qui, si Clericus è Seminario sine facultate Reverendissimi Archiepiscopi discesserit, aut propter improbitatem, aliamve eiusmodi causam expulsus fuerit; in his omnibus, & singulis, alijsque in formula cautionis cõsuetæ præscriptis, si quid horum contigerit, teneatur pro victu soluere, quæcunque eo nomine Reverendissimus Archiepiscopus, aut eius

Vicarius iusserit, pro eo tempore uniuerso, quo in Seminario commoratus fuerit.

Fideiussores ne accipiãtur, nisi domiciliũ in Ciuitate habeant, & ad præscriptam formã approbati, & collaudati.

Omnes ætatis, & natalium testificationes scriptas, ac illius iudicio, qui à nobis constitutus fuerit, probatas afferant; quas nisi eiusdem subscriptione signatas exhibeant, ne recipiantur.

In ætate Clericorum exscribenda, notetur expressè dies, mensis, annus, quo quisq; natus fuerit, hoc modo.

Natus die mense & anno

vt constat ex processu approbato: quò possit facile, quotiescunque opus sit, subducta ratione, haberi ætas vniuscuiusque.

Poterit tamen hæc diligentia prætermitti, si ex libris Matrimoniorum, & Baptismorum testimonium probatum extet: ex quibus describatur ad verbũ exemplum verborum, quibus testatum sit, Matrimonium inter parentes eius, qui recipiendus est, contractum esse, & insuper diei quò quis talis baptizatus est; quo eum ex legitimis nuptijs esse procreatum probetur, ac eius ætas inuestigetur.

## SECUNDA PARS.

Quæ ad Officiales Seminarij pertinent.

De Officialibus in genere. Cap. I.

**S**eminarij Officiales, alij Ecclesiastici, Laici alij esse debebunt; qui cum omnes vitæ integritate conspicui, tum præsertim Ecclesiastici, vita, & moribus probati sint, & in his quæ eorum muneris sunt, exercitati: qui, si fieri possit, omnes ex Oblatorum Congregatione deligantur, ac potissimum Rector eiusdem omnino sit congregationis.

Rector igitur præ cæteris sit ætate prouectus, auctoritate grauis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus disciplinæ clericalis, ac eius præcipuè, quæ ad Seminarium

Fff spectat;